



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 1. De nominibus Europae veteris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

apud veteresprehendimus) & ad eas reuocamus grandiores regiones in quas vulgò Europa olim diuidebatur. Sed vt res distinctiùs progrediatur, & eâ methodo ad docendum accommodatissimâ, quâ à genere ad species, à communibus ad singularia proceditur, antequam de partibus Europæ singulatim dicamus, aliquid in vniuersum de totâ Europâ prælibemus.

LIBER PRIMVS.

De Europa in communi.

QVÆRIMVS de Europâ, siue Antiquâ, siue Recentiore; *Primò* nomen; *Secundò* quantitatem; *Tertiò* qualitatem; *Quartò* linguas; *Quintò* denique diuisionem.

CAPVT PRIMVM.

De Europa veteri.§. 1. *De nominibus Europæ.*

VM magna pars Europæ ad Iapheti sortem pertinuerit, ideo recentiores quidam suspicati sunt olim dictam fuisse IAPETIAM; sic Ortelius, Maginus, Merula, & cæteri qui ab iis proposita excerpserunt: sed de eo statuant sapientes.

Alterum, Europæ nomen legitur apud Theocritum vbi regio hæc TYRIA dicitur, per Metalepsim à puellâ de quâ mox.

Tertium GALATIA, sic Diod. Sic. lib. 5. Bibliot. apud quem magna pars Europæ Galatis tribuitur. Cùm enim maximam eius partem distribuisset Celtis & Galatis concludit, οἱ δὲ Ῥωμαῖοι πάντα τὰ ἔθνη συλλήθον μὲν ἀρροσηρέα περιλαμβάνουσιν ὀνομάζοντες Γαλάτας πάντας. Eam coniecturam confirmat Solinus cap. 26. vbi notat mare Mediterraneum toti Europæ affusum *Gallicum* dici.

Quartum, CELTICA cuius nominis disertè meminit Ptolemaeus lib. 2. non Geogr. vt vulgò citatur, sed *operis Quadrupartiti*. Quomodo autem Celtæ sparsi sint per totam Europam probatum leges apud Ortelium in aduersâ parte Europæ Antiquæ, & Cluverium lib. 2. Ger. Ant. cap. 2. & sequentibus.

Quintum, EVROPA Græcis Εὐρώπη, & Εὐρωπαϊά, quod nomen habet, vel ab Europâ Tyriâ per Iouem raptâ, vel ab Europeo Rege vt aiunt Trogus, & Tzetzes in Lycophro: qui fortè Sicyoniorum Rex fuit cuius meminere Pausanias, & Eusebius. Festus dictam ait à pulchritudine regionis, videlicet quasi nomen pulcherrimæ virginis regionem *Εὐραλί* optimè exprimat. Cætera autem quæ à Goropio huc inuehuntur, hominem otiosum sapiunt.

§. 2. De quantitate Europæ veteris.

NON hic loquor de eius Figurâ quam Strabo *πολυχημοσάτην πάντων* appellat: neque de eius comparatione cum Dracone cuius caput *Hispania*, collum *Gallia*, alas expansas *Cymbrica Chersonesus*, & *Italia* effingant: id enim apud Strabonem vulgò citatum non memini me legere. Tantùm hîc considerabo eius extensionem penes longitudinem & latitudinem.

LONGITVDO *Herodoto* est *Asiæ* & *Africæ* similis. *Straboni* paulò minùs triginta millibus Stadiorum: *Plinio* octuagies quater centies & quatuordecim millium passuum: *Ptolemæo* quadraginta octo graduum maioris circuli, hoc est viginti quatuor millium Stadiorum.

LATITVDO *Straboni* est quatuordecim millium & centum Stadiorum: *Plinio* decies sexies, & octodecim millium passuum: *Ptolemæo* denique 28. graduum, hoc est quatuordecim millium Stadiorum.

§. 3. De qualitate veteris Europæ.

DE QUALITATE huius regionis inuenio antiquos quatuor insigniora notasse.

PRIMUM, *inter mundi partes omnes saluberrimam esse*. Ita Varro lib. 1. de re Rusticâ, quam idè anteponit *Asiæ*, quia Europa in *Borcâ* magis vergit, quæ Mundi pars est salubrior. Huius quo-